

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Iurid. Lipsiensis Ordinarii
Tractatio Synoptica Institutionum Iuris Iustinianearum
Theoretico-Practica**

Mencke, Lüder

Lipsiae, MDCCXXXV

VD18 11839880

Tit. IX. Per quas Personas nobis Acquiritur.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18253

plerisque in locis haud desideratur, nec necessaria est in judiciali Distractione Pignoris, ceu resp. E. J. L. M. Febr. 706.

TIT. IX.

*Per quas Personas nobis Acquiritur.**Summa.*

Acquiritur nobis non solum per nosmetipsos; sed etiam per eos, quos in potestate habemus: item per servos, in quibus usumfructum habemus: item per homines liberos, & per servos alienos, quos bona fide possidemus: de quibus singulis diligentius dispiciamus.

Ex Cajo l.
10. pr. ff. de
acqu. rer.
dom.

De liberis in potestate.

i. Igitur liberi nostri, utriusque sexus, quos in potestate habemus, olim quidem quicquid ad eos pervenerat (exceptis videlicet castrensibus pecuniis,) hoc parentibus suis acquirebant, sine ulla distinctione. Et hoc ita parentum fiebat, ut etiam esset eis licentia, quod per unum, vel unam eorum acquisitum esset, alii filio vel extraneo donare, vel vendere, vel quocumque modo voluerant, applicare. Quod nobis inhumanum visum est, & generali

* v. L. 6. C.
de bon. quæ
lib.

Constitutione emissa, & liberis pepercimus, & patribus honorem debitum reservavimus. Sancitum etenim a Nobis est, ut, si quid ex re patris ei obvenerit, hoc secundum antiquam observationem totum parenti acquiratur. Quæ enim invidia est, quod ex patris occasione profectum est, hoc ad eum reverti? Quod autem ex alia causa sibi filius familias acquisivit, hujus usumfructum patri quidem acquirat, dominium autem apud eum remaneat: ne, quod ei suis laboribus vel prospera fortuna accesserit, hoc in alium perveniens, luctuosum ei procedat.

De



De emancipatione liberorum.

2. Hoc quoque a nobis dispositum est, & in ea specie, ubi parens emancipando liberos suos ex rebus, quæ acquisitionem effugiebant, sibi tertiam partem retinere (si voluerat) licentiam ex anterioribus Constitutionibus habebat, quasi pro pretio quodammodo emancipationis: & inhumanum quiddam acciderebat, ut filius rerum suarum ex hac emancipatione dominio pro parte tertia defraudaretur: & quod honoris ei ex emancipatione additum erat, quod sui juris effectus esset, hoc per rerum deminutionem decresceret. Ideoque * statuimus, ut
 * v. d. L. 6. §. 3. parens pro tertia parte domini, quam retinere poterat, dimidiam non domini rerum, sed ususfructus retineat. Ita etenim res intactæ apud filium remanebunt, & pater ampliore summa fruatur, pro tertia dimidia potiturus.

De servis nostris.

3. Item nobis acquiritur, quod servi nostri extraditione nanciscuntur: sive quid stipulentur, vel ex qualibet alia causa acquirant. Hoc enim nobis & ignorantibus & invitis obvenit. *Ipsæ enim servus, qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest.* Sed si heres institutus sit, non alias, nisi nostro jussu, hereditatem adire potest. Et si nobis jubentibus adierit, nobis hereditas acquiritur, perinde ac si nos ipsi heredes instituti essemus. Et convenienter scilicet nobis *legatum* per eos acquiritur. Non solum autem *proprietas* per eos, quos in potestate habemus, nobis acquiritur, sed etiam *possessio*. Cujuscunque enim rei possessionem adepti fuerint, id nos possidere videmur. Unde etiam per eos *usucapio* vel *longi temporis possessio* nobis accedit.

De fructuariis & bona fide possessis.

4. De iis autem servis, in quibus tantummodo usumfructum habemus, ita placuit, ut, quicquid ex
 Ex cod. d. §. 3. 4. re

re nostra, vel ex operis suis acquirunt, id nobis ad-
ciatur: quod vero extra eas causas consecuti sunt,
id ad *dominum proprietatis* pertineat. Itaque si is
servus heres institutus sit, legatumve quid ei, aut
donatum fuerit; non usufructuario, sed domino
proprietatis acquiritur.

§ 5. ff. d.
acquir.
rer. dom.

Idem placet & de eo, qui a nobis *bona fide posside-
tur*, sive is liber sit, sive alienus servus. Quod enim
placuit de usufructuario, idem placet & de bonæ
fidei possessore. Itaque quod extra istas duas cau-
sas acquiritur, id vel ad ipsum pertinet, si liber est,
vel ad dominum, si servus est. Sed bonæ fidei pos-
sessor, cum usuceperit servum (quia eo modo do-
minus sit,) ex omnibus causis per eum sibi acquirere
potest. Fructuarius vero usucapere non potest:
primum, quia non possidet, sed habet jus utendi
fruendi: deinde quia scit, servum alienum esse.
Non solum autem *proprietas* per eos servos, in qui-
bus usumfructum habemus, vel quos bona fide pos-
sidemus, aut per liberam personam, quæ bona fide
nobis servit, nobis acquiritur; sed etiam *possessio*.
Loquimur autem in utriusque persona secundam
definitionem, quam proxime exposuimus: id est,
si quam possessionem ex re nostra, vel ex suis operis
adepti fuerint.

Expl. b. l.
Pompon. l.
21. pr. ff. §
eod.
Et Ulp. l.
21. ff. d. U.
Infr. l. 23.
pr. §. 1. seq.
ff. d. ac-
quir. rer.
dom.

De reliquis personis.

§. Ex his itaque apparet, per liberos homines,
quos neque nostro juri subjectos habemus, neque
bona fide possidemus: item per alienos servos, in
quibus neque usumfructum habemus, neque pos-
sessionem justam, nulla ex causa nobis acquiri posse.
Et hoc est, quod dicitur, *per extraneam personam
nihil acquiri posse*: excepto eo, quod per liberam
personam, veluti per procuratorem, placet, non
solum scientibus, sed & ignorantibus nobis, acqui-
ri possessionem, secundum Divi Severi * Con-
stitutionem: & per hanc possessionem etiam do-
minium, possess.

* v. l. 1. C.
de acquir.
possess.



minium, si dominus fuerit, qui tradidit; vel usucapionem, aut longi temporis præscriptionem, si dominus non sit.

Transitio.

6. Hactenus tantisper admonuisse sufficiat, quemadmodum singulæ res nobis acquirantur. Nam legatorum jus, quo & ipso jure singulæ res nobis acquiruntur, item fideicommissorum, ubi singulæ res nobis relinquuntur, opportunius inferiore loco referemus. Videamus itaque nunc, quibus modis per universitatem res acquirantur. Si cui ergo *heredes facti simas*, sive *cujus bonorum possessionem* petierimus, vel si *quem adrogaverimus*, vel si *cujus bona libertatum* conservandarum causa nobis addita fuerint; ejus res omnes ad nos transeunt. Ac prius de hereditatibus dispiciamus, quarum duplex conditio est. Nam vel ex testamento, vel ab intestato ad nos pertinent. Et prius est, ut de his dispiciamus, quæ ex testamento nobis obveniunt. Qua in re necessarium est, initium de ordinandis testamentis exponere.

I.

Pr. I. h.

Acquisitio fit vel per nosmetipsos, *PR. J. h.* vel per alios, eosque vel *subjectos Potestati*, vel *extraneos*. Sunt autem subjecti Potestati vel patriæ vel dominicæ. Intuitu *Potestatis patriæ Liberi acquirunt* Parentibus sub *Diversitate Peculii*. Est vero *Peculium*, *ein abascendentes Gut*, quasi Patrimonium, quod *Filiisam*. a Rationibus *paternis* Jure separatum habent. *S. I. J. h.* Dividitur in *militare*, & *Occasione veræ* vel quasi *Militiæ* acquiritur; In *Militia sagata* s. *armata quæsitum castrense*, *l. u. ff. d. Castrens. pec. j. L.*

§. 1. I. h.

j. L. 2. ff. d. SCt. Maced. (a) in togata Militia s. Intuitu Studiorum liberalium vel Officiorum publicorum acquisitum, quasi castrense dicitur; l. f. C. d. inoffic. testam. & paganum, quod extra veram vel quasi Militiam acquiritur, estque vel adventitium vel profectitium. *Adventitium* quod aliunde, non ex Re Patris, quæsitum; §. I. J. b. atque illud vel *regulare*, in quo Filius habet Proprietatem, *Pater Ususfructum*, §. 1. J. b. L. 6. C. d. bon. quæ liber. vel *irregulare*, in quo Filius habet *Proprietatem & Ususfructum*: l. f. pr. C. d. t. *Profectitium* est, quod ex Rebus Patris, aut ejus Occasione l. 5. §. 2. ff. d. jur. dot. ad Filiumfam. pervenit. §. I. J. b. Itaque quæ referuntur ad Peculium militare adventitiumque irregulare Liberis Jure Proprietatis & Ususfructus cedunt, nulloque Jure Parentum sunt: §. I. J. b. j. N. 17. c. 1. At profectitium est Patris, Jure Proprietatis & Ususfructus, d. §. adventitium regulare vero Jure Ususfructus tantum. §. I. J. b. Jus Civile hodie attenditur in Saxonia. Dec. El. 62.

II. In Emancipationis Præmium, cedit Patri dimidia Pars Ususfructus adventitiorum, §. II. J. §. 2. I. h. b. l. 6. §. 3. C. d. bon. quæ lib. quod in Emancipatione virtuali Saxonica non obtinet, a. P. 2. C. El. 10. §. 1. a. u. in formali adhuc obtinere, sunt qui tueantur.

III. Intuitu Potestatis Dominice acquiritur per Servos, vel proprios vel alienos. *Servi pro-*

(a) *Filiifam. in Castrensi Peculio vice Patrumfam. funguntur.* L. 2. ff. ad SCt. Maced.

N

prii

- §. 3. I. h. *prii acquirunt Dominis ex qualibet Causa, etiam*
 (1) *ignorantibus & invitis, §. III. J. b. (b) j. l. 10. §. 1. ff. d. acquir. rer. dom. L. 133. ff. d. R. J. (c) (2) Possessionem & per eam Usucapione. d. §. Servi alieni, in quibus Usufructum habemus, ex Re nostra Operisve suis, etiam Possessionem nobis acquirunt, reliquum Proprietario cedit. §. IV. J. b. Servi, quos B. F. possidemus (idem in liberis Homi- nibus, qui a nobis B. F. possidentur, obtinet) ex Re nostra & Operis suis nobis acquirunt, etiam possessionem, reliquum Domino (aut cum liber Homo est ipsi) tribuitur. §. IV. J. b. Hodie servientes ex Conducto Personæ Conductoribus ex Operis locatis, & Glebæ adscripti Homines proprii, ratione Glebæ Servitiorumque inde præstandorum, Dominis saltem acquirunt: Rustici vero, Operas suas pro certa Mercede locantes, eas, quoties nihil ipsorum interest, Domino potius, quam extraneo, apud nos locare jubentur. *fac. l. 16 ff. de reb. auct. jud. poss. l. 1. §. f. ff. si a parent. quis manum. Vom Dienst. Zwange. Conf. Poltzen Ordnung, d. A. 1653. t. 23. c. 3. §. 4. C. S. p. 1142.**
- IV. *Per extraneos nobis irregulariter & per Exceptionem acquiruntur; veluti (1) per Procuratorem vi Mandati, §. V. J. b. l. 13. ff. d. acquir. rer. dom. etiam hodie; (2) per Uxorem Marito constante Matrimonio. q. l. 31. pr. §. 1. l. 51. ff. d. don. int. vir. & ux.*
- (b) *Qui in Potestate alterius est, nihil suum habere potest. §. III. J. b.*
- (c) *Melior Conditio Minorum per Servos fieri potest, deterior fieri non potest. L. 133 ff. d. R. J.*

V. Mo-

V. Modi acquirendi civiles universales 1) Hæreditas, L. 62. ff. d. R. J. (d) 2) Bonorum Possessio, 3) Arrogatio, 4) Addictio Bonorum Libertatum conservandarum gratia §. VI. J. h. §. 6. I. h. commemorantur.

TIT. X.

De Testamentis Ordinandis.

Etymologia.

Testamentum ex eo appellatur, quod testatio meritis sit.

De antiquis modis testandi civilibus.

i. Sed ut nihil antiquitatis penitus ignoretur, sciendum est, olim quidem duo genera testamentorum in usu fuisse: quorum altero in pace & otio utebantur, quod *calatis comitiis* appellabant: altero, cum in prælium exituri essent, quod *prociunctum* dicebatur. Accessit deinde tertium genus testamentorum, quod dicebatur *per æs & liberam*: scilicet, quod per mancipationem, id est, imaginariam quandam venditionem agebatur, quinque testibus, & libripende, civibus Romanis puberibus præsentibus, & eo, qui familiæ emptor dicebatur. Sed illa quidem priora duo genera testamentorum ex veteribus temporibus in defuetudinem abierunt. Quod vero per æs & libram fiebat, licet diutius permanferit, attamen partim & hoc in usu esse desit.

De antiqua testandi ratione Prætoria.

i. Sed prædicta quidem nomina testamentorum ad Jus civile referebantur: postea vero ex Edicto Prætoris forma alia faciendorum testamentorum

(d) Hæreditas nihil aliud est, quam Successio in Univerſum Jus, quod defunctus habuit. L. 62. ff. d. R. J.